



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

XVIII. V. sint circumstantiae peccatorum agrauantes, necessariò
confitendae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

cendo causam, quæ turpitudinem suam aliquo modo excusat.

Pariter, si quis putans se benefacere, furtum fecit, quod pauperibus largiretur, aut si peieravit, ut vitam seruaret Regis: Ut enim in Ecclesiastico admonemur, Cura habenda est de bono nomine, salua Confessionis veritate. Eccli. 41.

*Suntne circumstantiæ peccatorum
aggrauantes, necessario con-
fitendæ?*

*Quæstio
XVIII.*

Circumstantiæ peccatum aggrauantes in duplici differentia sunt: *Quædam enim aggrauant quidē peccatum; sed tamen speciem non mutant: Ut si quis furatur vel decem, vel centum, vel mille, & tales non sunt necessario confitendæ; quia nullo iure Diuino, nec humano ad id tenemur, quod patet; quia hæc iura non obligant peccatores, nisi ad Confessionem omnium peccatorum mortalium; Sed circumstantiæ multum aggrauantes non sunt peculiaria peccata lethalia, cum speciem non mutant: Quare licet haud parum aggrauent, eas confiteri necessarium non est.* *Responsio.*

Præterea, si necessum foret eas confiteri, teneremur quoque eas scire, haud secus atque peccata mortifera; At istud est valde durum, atque indoctis propè impossibi-

Caput III. De Qualitate

le; Sufficit igitur nosse & confiteri eas duntaxat circumstantias, quæ speciem peccati mutant.

His accedit, quòd ea duntaxat peccata necessariò sint confitenda, quæ ex sua natura sunt mortifera, vel aliqua lege prohibita; Verùm circumstantia multùm aggrauans distincto præcepto, ab actu principali non cauetur. Verbi gratia, furari mille non alio prohibetur, quàm furari decem: Non ergo necessarium est eiusmodi circumstantiã confiteri.

Est itaque vtile eas confiteri; non tamen necessarium ad salutem.

Quædam verò circumstantiæ mutant speciem peccatorum; sicut furari, vel occidere in Ecclesia; fornicari cum virgine, vel fornicari in Ecclesia; quæ dubio procul necessariò sunt confitendæ, quia peccatum, habens illam circumstantiam, geminam continet peccati maculam, ac propterea etiam duorum peccatorum reum facit: Furtum enim per se est peccatum, & iniuria Ecclesiæ est etiam peccatum per se, & ideò furtum in Ecclesia æquiualeat duobus peccatis, & ob id est necessariò talis circumstantia confitenda.

Circumstantiæ verò tertij generis, quæ nec grauant, nec minuunt, adeò non sunt ad Confessionem necessariæ, vt earum Confessio fit contra Confessionis virtutem, quæ est, vt

est, ut sit simplex; quia nihil faciunt ad exprimendam qualitatem peccati. Ut si quis dicat hominem ante prandium, vel à prandio occidisse; aut si vir dicat, pulchritudine mulieris victum, aut mulier precibus, vel pretio ductâ, peccasse: Hæc enim omnia debet Confessarius rescindere, eò, quòd impediant potius, quàm promoueant Confessionem, temporisque iacturam inducant.

Quænam dicuntur circumstantiæ speciem peccati mutant?

*Quæstio
XIX.*

Illæ dicuntur speciem peccati mutare, seu nouum peccatum inducere; quæ distincta seu propria prohibitione prohibentur. Huius dicti ratio clara est; quia cum peccatum non alia ratione sit peccatum, quàm quòd militet contra præceptum, seu legem obligatoriam: Verè fit, ut illa circumstantia distinctum afferat peccatum, quæ distincta prohibetur lege, aut præcepto. Cuius rei veritas multis exemplis demonstrari potest.

Responsio.

De circumstantia finis, si quis furatur, ut fornicetur, vel aliud flagitium committat; constat, finem illum alia lege distincta, esse prohibitum à lege, quæ furtum prohibet. De circumstantia obiecti, ut si quis fornicetur